



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1778**

**VD18 90118863**

§. 96. Itelius Fridericus a Zolleren Cardinalis fatis functus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

aureorum millia in annuos proventus Sæc. XVII.  
assignabat. A. C. 1625.

## §. XCVI.

*Itelius Fridericus a Zollerem Cardinalis fati functus.*

**A**lter erat Itelius Fridericus Comes Carafa  
a Hochzollerem Germanus, quem Comm. Ger-  
die decima nona Septembris Osnabrugi man. p. 189.  
obiisse, Cæsar ac Imperii Principes gra-  
vissime tulerant. Hic enim non modo  
generis sui nobilitate, sed & merito-  
rum præstantia Coloniensi Ecclesiæ pri-  
mum, ac demum Pontificio Clemen-  
tis VIII. cubiculo præpositus, a Paulo  
V. Purpura decoratus est; Regnante  
autem Gregorio XV. e Germania Ro-  
mam reversus, ibidem tum Clericalis  
vitæ honestate, morumque integritate,  
tum miro animi candore, reliquisque  
virtutibus Principe Ecclesiastico dignis  
sele Ecclesiæ commendabilem, omni-  
busque notum, charumque reddidit.  
Præclare insuper res Cæsaris in Ger-  
mania gesserat; vix enim in toto Im-  
perio Princeps erat rebus pertractandis  
aptior, atque in Cæsaris, Catholici-  
que fœderis negotiis illo magis exerci-  
tatus. Inter hæc vero anno Christi  
millesimo sexcentesimo vigesimo tertio  
vacante Sede Osnabrugensi absens a

Sæc. XVII. Canonici Episcopus renuntiabatur,  
 A. C. 1625. reclamantibus Lutheranis, quorum ta-  
 men violenta oppositio Anholtii, qui  
 Friderici Sororem duxerat, copiis ali-  
 quamdiu coercita est. Reddita igitur  
 pace neo-electus Antistes Roma ad Ec-  
 clesiam suam contendit, atque septem  
 adulatorum millia & amplius, exceptis  
 tamen Nobilibus, paucos intra Menses  
 absque ullo strepitu ad Ecclesiæ gre-  
 mium reduxit. seque omnes sensim  
 hæreticos ab Ecclesia sua remoturum  
 spondit. Verum concepto inde odio  
 a Canonicis heterodoxis propinato ve-  
 neno annos natus nonnisi quadraginta  
 tres e medio sublatus est: Vir sane dis-  
 tinctiore vita, & benigniore fato  
 dignus, cum in tuenda apud Germanos  
 vera Religione indefessus, suo exem-  
 plo, pietate, doctrina, & auctoritate  
 quibus pollebat, multum prodesse pe-  
 tuisset. Erat enim in eo præsens inge-  
 nium, singularis prudentia, eximius  
 rerum humanarum usus, ac inprimis  
 summum Religionis studium, eminentis-  
 que Pontificii & Cæsarii juris scientia,  
 moresque sanctissimi. Eminuit quoque  
 integerrimo justitiæ studio, singulari  
 misericordia, ac excellenti in egenos  
 liberalitate. Edidit egregias Consti-  
 tutiones pro Cleri Osnabrugensis re-  
 formatione, necnon decreta adversus  
 hære-

hæreticos, quæ tamen morte præven- Sæc. XVII.  
A. C. 1625.  
tus, typis edere haud poterat.

Optimi hujus Pastoris jacturam vel maxime deplorabat Osnabrugensis Diæcesis, quam Sede vacante Mansfeldius cum suis prædonibus invasam gravi mûlta pro more suo exhauriebat, abstractis etiam Catholicis quibusdam Canonicis, Nobilibus, civibusque. Insuper eadem hæc Ecclesia in electione novi Præsulis schismate scissa est, quibusdam Canonicis Franciscum Comitem de Wartemberg, qui Guilielmi Bavarix Ducis ex Fratre Ferdinando Nepos erat, eligentibus, aliis eundem, utpote nondum capitularem recusantibus: tandem vero Sedis Apostolicæ judicio hæc controversia in Wartembergii favorem decisa est, quam tamen electionem Daniæ Rex, qui hunc Episcopatum pro Filio suo prenabat, præpediisset, nisi Tillius Comes victicia opposuisset arma.

§. XCVII.

*Quidam ab Urbano VIII. Sanctorum,  
Beatorumque Albo adscripti.*

Hoc anno Jubilæum Romæ promul- Bullar.  
magn. Ur-  
ban. VIII.  
Const. 34.  
gatum multos etiam Principes  
accivit in Italiam, quibus insuperha-  
bito grassantis pestilentix metu ac pe-  
riculo,